



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Privilegivm Cæsarevm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

## PRIVILEGIUM CÆSAREVM.

Manet in bibliotheca  
**L**EOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romano-  
rum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hunga-  
riæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiaæ, Sclavoniaæ, &c. Rex,  
Archidux Austriaæ, Dux Burgundiæ, Styriaæ, Carinthiaæ,  
Carniolæ, & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus &  
notum facimus tenore præsentium universis, posteaquam humili-  
liter nobis exposuerit Noster, Sacrique Imperij fidelis dilectus,  
Joannes Caspatus Bencard, Bibliopola Augustanus, statuisse se  
Opus posthumum P. Thomæ Tamburini Soc. JESU, sive Tracta-  
tus ejusdem quinque, in quinque Ecclesiæ præcepta, ad publicos  
Usus in Germania prælo subjecere, atque eidem Operi ad lucem  
quantocuyus edendo Operam se jam tum diligenter navare, folli-  
citur, ne locatorum hac in parte sumptuum & industriae per  
fraudes aliorum ejusmodi libros temerè imitantium frustretur,  
demissè nobis supplicando, quo eam ob causam prædictos tracta-  
tus, quorum debita quinque exemplaria, jam tum ad Consilium  
nostrum Imperiale Aulicum transmisit, privilegio nostro Cæsa-  
reo communire, clementer dignaremur, Nos precibus istis pro  
ea, quam præferebant, æquitatem benignè annuisse. Qui  
proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliope-  
gis, & aliis quibuscumque librariam Negotiationem exercenti-  
bus seriò inhibemus & vetamus, ne quis prædictos P. Tamburini  
tractatus, per quinque annorum spatum à prima editionis die  
computandum intra sacri Romani Imperij, Regnorūmque &  
Ditionum nostrarum hæreditiarum fines simili aut alio quo-  
cunque Typo, Charactere vel forma, sive in toto, sive in parte,  
mutatisve titulis recudere, aut aliò recudendos dare, aut etiam  
alibi recusos apportare, venundare aut distrahere, clam vel pa-  
lam citra dicti supplicantis, ejusve hæredum expressum & in  
scriptis obtentum consensum ausit, vel præsumat; Si quis verò  
secus faciendo, interdictum hoc nostrum neglexerit, aut viola-  
verit, cum non solùm ejusmodi libris perperam quippe recusis &  
adductis (quos quidem supra nominatus Joannes Casparus Ben-

( 2

card

TAMPERIN

RECUPERAT

VARA

E III  
306:

card, ejusve hæredes & successores ubicunque locorum deprehensos, seu propria autoritate, seu Magistratū loci illius auxilio sibi vendicare poterunt) de facto privandum, sed & pœna insuper quinque marcarum auri puri, pro semisse Fisco nostro Cæsareo eeu fraudis vindici, & ex reliqua parte injuriam passis pendenda decernimus multandum; dummodo tamen præfatum Opus nihil uspiam, quod bonis moribus, sacrâ Imperij Constitutionibus quovis modo aduersetur, contineat, Privilegiūmque hoc nostrum Cæsareum pro publica cautela in fronte impressum, siue censuram exhibeat. Mandamus igitur universis ac singulis nostris & sacri Imperij, Regnorūmque ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis, ac fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis existant, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel suo vel superiorum suorum loco aut nomine jus dicunt, justitiâve administrant, ne quemquam hoc Privilegium nostrum Cæsareum impunè violare, spernere aut transgredi patientur, sed si quos contumaces compererint, constitutâ à nobis multâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri current, nisi & ipsimet gravissimam nostram indignationem in se laceſſere ac provocare voluerint. Harum testimonia literarum, manu nostro subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ die decima tertia Novembbris, Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, Regnorum nostrorum Romani trigesimo nono, Hungarici quadragesimo secundo, Bohemici verò quadragesimo primo.

LEOPOLDUS.

V. Sebastianus Wunibaldus  
Comes à Zeyhl.

(L.S.)

*Ad Mandatum Sacrae Cæsareae Majestatis  
proprium.*

Franciscus Winandus de Bertram.